



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. Existentia & quidditas habituum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Respondet, negando paritatem. Intellectus non potest determinari à specie per sympathiam, cum non sit potentia radicata in eadem anima, idè debet determinari per actionem. Voluntas autem potest excitari per sympathiam ab intellectu, cum utraque potentia radice in eadem anima, vel potius sit eadem anima.

Supererat dicere diuisiones actuum voluntatis; alij enim sunt efficaces, alij inefficaces; alij elici, alij imperari; quidam absoluti, quidam conditionati; quidam antecedentes, quidam consequentes: sed hæc petenda sunt ex Morali.

Denique potentia motrix inorganica, quæ nimirum anima mouet seipsam extra corpus, admittenda necessariò est, quia non est immobilis anima extra corpus: distinguitur sine dubio ab intellectu & voluntate, cum diuersos actus habeant, & diuersa munera; imò læsâ potentia motrice organica non læditur intellectus aut voluntas, quæ certa est nota distinctionis. Si autem potentia motrix organica distinguitur, debet distingui etiam inorganica.

QVÆSTIO IV.

De habitibus animæ rationalis.

Expofui adhuc facultates innatas animæ, nunc de illis agendum superest, quas imprimit ipsa sibi, dum agendo auget virtutem suam, & actio ipsa principium parit, per quod producat ipsa postmodum robustior. Hi sunt habitus, quibus nescio an mirabilius aliquid habeat natura, & an occultius aliquid habeat Philosophia. De illis igitur occultissimis animæ thesauris vt dicam plenissimè, primùm inquirò existentiam eorum & quidditatem: secundò subiectum, in quo sunt habitus: tertio causas efficientes, per quas producantur, intenduntur, extenduntur, destruantur: quarto causam eorum finalem, seu quid agant habitus: quinto varias eorum diuisiones.

SECTIO I.

Existentiæ, & quidditas habituum.

Definitio habitus.

Certum est primò, rectè definiti habitum, *Est qualitas permanens, ex actu frequenter genita, in similes actus inclinans*. Primò dicitur *qualitas*, quia perficit subiectum in quo est in ordine ad operationem. Deinde additur *permanens*, vt distinguitur ab actu vitali, qui non permanet, sed mox vbi nascitur, definit esse. Secundò dicitur *ex actu frequenter genita*, scilicet effectiue physice; quia nullus actus à potentia producit, qui non imprimat vestigium sui, qualitatem scilicet per quam potentia facilitetur ad eliciendos actus similes; sic enim habitus distinguitur à potentiis, quæ non producantur à potentiis, sed præsupponuntur. Tertio dicitur *inclinans in similes actus*, id est non tribuens potentia primam facultatem operandi, sed tribuens tantum vt facili ac promptè possit operari; in quo habitus distinguitur à potentia & ab habitu supernaturali, sine quo potentia completa non est ad agendum connaturaliter. Non est igitur habitus naturalis prima vis agendi, sed pondus quoddam, & inclinatio potentia ad certos quosdam actus eliciendos.

A Certum est secundò, reliquas omnes definitiones habituum, si bonæ sunt, coincidere cum eadem attuli. Aristoteles 7. Physic. textu 17. *Habitus*, inquit, *est dispositio perfecti ad optimum*. Vbi nomine perfecti potentia intelligitur completa & expedita superaddito habitu: nomine autem optimi actus significatur, qui optimo modo fit, id est promptè ac delectabiliter; optimum enim actum non appellat hic Aristoteles eum, qui ex obiecto est, sed qui fit cum delectatione ac facilitate; qui sine dubio est modus optimus operandi. Secundò item Ethicorum c. 5. & 5. Metaph. text. 25. *Habitus*, inquit, *dispositio est, quæ bene vel male disponitur in ordine ad nos, vel in ordine ad alios*. Sed hæc est definitio primæ speciei qualitatis, non autem habitus strictè sumpti, de quo solo hic agitur.

B His positis circa existentiam & quidditatem habitus ita sumpti, duo sunt controuersæ. Primò, vtum ille reuera sit aliqua positiua qualitas, an verò remotio tantum impedimentorum: secundò, vtum ille sit qualitas distincta à speciebus impressis.

S. I.

Vtrum habitus sit qualitas aliqua positiua.

Negat Caietan. 1. 2. q. 49. art. 4. querendum esse de habitu, an sit; quia videtur satis manifestè conuinci experientia, illum esse. Sed video tamen existimasse paucos quosdam Doctores, probabiliter explicari posse facilitatem illam, quam experitur sine qualitate superaddita potentia, per solam remotionem omnium impedimentorum.

C Ratio enim dubitandi esse primò potest, quia tripliciter non sunt necessarii habitus facilitantes potentiam, si sola remotione impedimentorum, sine noua qualitate possit facilitari potentia: sed facilitari potest sine noua qualitate, quia potentia facilitari potest amoto eo quod facit difficultatem: sed impedimenta faciunt difficultatem: ergo amotione impedimentorum facilitari potest potentia.

Secundò potentia, quæ per seipsam habet inclinationem ad obiectum suum, fertur in illud facilius sine noua qualitate, si nihil impedit eius operationem: sed potentia vitalis per seipsam habet inclinationem in obiectum suum: ergo fertur in illud facilius sine noua qualitate, si nihil eam impedit.

Tertio non potest explicari, quomodo qualitas illa faciliat, quomodo producat, intendatur & destruat.

Dico primò, esse omninò admittendos habitus in potentiis vitalibus, qui sint reales qualitates distinctæ à remotione quorumlibet impedimentorum. Hæc totius Philosophiæ vox, cui contradicere non videtur esse sapientis Philosophi.

E Secundò enim experientia conuincit, dari aliquid nouum in nobis post frequentem actum excitationem; nemo enim est, qui non sentiat facilitatem maximam ad eos actus, in quibus sæpe versatus est. Vnde sapienter ille suadebat: *Optimum vita genus elige, suauè illud consuetudo faciet, adeo vt dum consuetudini non resistitur, fieri videatur necessarium*. Artifices videmus, tametsi optimè calleant præcepta, initio tamen prauè ac difficilè operari; postea verò ipsa exercitatione crescere facilitatem, & non accedente scientia, peritiam tamen accedere. Vnde argumentor. Non potest esse in potentiis animæ facilitas maior, quàm antea, nisi sit aliquid in potentiis, quod antea non erat: illud nouum est id ipsum quod vocamus habitum.

Secundò

Secunda ratio. Secundò à priori argumentatur Durandus in 3. A

dist. 35. q. 1. m. 9. Omnis potentia indeterminata ad operandum circa obiecta opposita eget aliquo determinante ut operetur faciliè circa unum & non circa aliud: multa sunt in anima potentia hoc modo indeterminata: ergo illa indigent aliquo determinante, nimirum habitu. Minor est certa, nam intellectus v. g. indifferens est ad errandum, vel sciendum aliquod obiectum. Voluntas ad bonum vel malum. Maior probatur, quia potentia quæ potest experiri difficultatem, eget aliquo per quod tollatur difficultas; potentia indeterminata habent difficultatem: ergo egent habitu superaddito, ut detur illis facilitas.

Respondetur potest solam remotionem impedimentorum sufficere posse ad explicandam illam experientiam maioris facilitatis, & ad determinationem potentia de se indifferens; hæc enim impedimenta plura excogitari possunt. Primò defectus cognitionis in intellectu; voluntas enim suo pte nutu inclinatur ad bonum, sed ut in illud feratur, illuminante intellectu indiget, cuius quò maiores tenebræ sunt, eò maior in voluntate est difficultas; quò perfectius lumen, eò leuior est & concitator voluntatis impulsus ad obiectum suum. Secundò corporis dispositio, quæ animæ alas vincitas tenet, ut aiebat Plato, & potentias ad operandum alioqui expeditissimas, circumdat innata grauitate; quò autem magis humorum delicatatione, morborum curatione, membrorum apta conformatione quasi leuius efficitur corpus; sic anima quoque ad operandum pronior reddita, potentiarum suarum manera exequitur alacrius.

Sed contra; nam remotis quibilibet impedimentis adhuc potentia experitur difficultatem: ergo præter remotionem impedimentorum, requiritur qualitas aliqua positiua tribuens facilitatem. Probat ut antecedens; nam remotio hæc impedimentorum est vel cognitio, vel corporis dispositio: sed posita quacunque cognitione & dispositione corporis, adhuc potentia experitur difficultatem in operibus bonis; videmus enim viros maxime doctos, & virtutum naturam ac eximiam dignitatem optime scientes; esse tamen sæpe deditos vitiis, & à virtutibus alienos. Idem dico de corporis dispositione, quæ non tollit virtutis difficultatem: ergo remotio impedimentorum non sufficit ad facilitatem potentia.

Solutio dubitationum. Ad primam respondeo, requiri habitum in potentiis, ut per illos tribuatur illis facilitas sufficiens ad tollendam indeterminationem potentia secundum quam aliquando facilius, aliquando difficilius operatur. Pateor quod à remotione impedimentorum aliqua deriuatur facilitas in ipsam potentiam: sed nego deriuari facilitatem, quæ sufficiat ad tollendam indeterminationem potentia, quæ de se indifferens est ad operandum faciliè vel difficilè, quia remotis impedimentis, ut dixi, manet tamen adhuc difficultas in ipsa potentia.

Ad secundam respondeo concedendo totum argumentum; potentia enim cum habeat inclinationem in obiectum suum, operatur facilius remotis impedimentis; sed non ita tamen operatur faciliè, ut non maneat semper difficultas maxima orta ex indifferentia potentia, quæ propterea eget inclinatione superaddita, quæ sit veluti pondus ad operationem.

Ad tertiam patebit ex dicendis, quænam sint causæ per quas habitus producit, intenditur, extenditur, destruitur.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

Verum habitus sit qualitas distincta à speciebus impressis.

Habitum esse qualitatem positiuam omnes fatentur communiter; sed illam qualitatem esse distinctam à speciebus impressis robustioribus, seu intensioribus factis, negant quamplurimi Doctores; quibus videtur superflua esse omnis alia qualitas præter species, quæ augent facilitatem potentia, cum augeant eius actiuitatem.

Ratio enim dubitandi primò est, quia species impressa est verus habitus potentia intellectiua; si per eam intellectus inclinatur ad assensum: sed per speciem impressam intellectus inclinatur ad assensum: ergo species impressa est verus habitus. Probat ut minor. Per illud inclinatur ad assensum, per quod obiectum magis repræsentatur ut verum & intelligibile: sed species intensior magis repræsentat obiectum ut verum: ergo species intensior magis inclinat ad assensum.

Secundò habitus supernaturalis, quamvis det simpliciter operari; tamen ubi est intensior, dat faciliè operari: ergo species impressa, quamvis det simpliciter operari; tamen robustior facta dat faciliè operari. Neque dicas, facilitatem quæ prouenit à speciebus, esse aliquid quod se tenet ex parte obiecti; habitum autem requiri ut compleat & faciliet potentiam tanquam aliquid se tenens ex parte potentia.

Contra enim primò, quia explicari non potest quid sit complere potentiam ex parte potentia, vel complere illam ex parte obiecti; nam illud se tenet ex parte potentia, quod augeat actiuitatem potentia producendo simul actum cum illa: species hoc facit: ergo species se tenet ex parte potentia. Deinde solum experimur potentiam facilius operari post actus frequentiores; non experimur autem quod facilitas illa se teneat ex parte potentia; neque vlla ratio cogit dicere necessariam esse aliam facilitatem distinctam ab ea quæ se tenet ex parte obiecti; satis enim est ad saluandas rationes omnes, quod potentia de nouo facilitetur. Frustra igitur multiplicatur entia sine necessitate.

Tertiò posita etiam specie impressa, quæ sit habitus intellectus, non videntur etiam vlli habitus requiri necessariò in voluntate; nam quò melius repræsentatur intellectui amabilitas alicuius obiecti, eò magis inclinatur voluntas ad illud prosequendum: species intensiores melius repræsentant amabilitatem obiecti: ergo positis speciebus intensioribus magis inclinatur voluntas ad prosequendum boni: ergo nullus habitus necessarius est voluntati, præter species quæ sunt in intellectu.

Dico secundò, habitus etiam intellectus esse qualitates distinctas realiter à speciebus impressis. Contrariò docere videntur S. Thom. & Thomistæ. Assentiuntur plurimi cum Hurtado dist. 16. de anima, sect. 2. Vasquez autem fatetur pluribus locis, dari habitus distinctos à speciebus ad cognitiones abstractiuas; sufficere autem species ad cognitiones intuitiuas sine nouo alio habitu.

Ratio tamen primò est, quia potentia debet facilitari ad actus etiam naturales per aliquid quod se teneat ex parte potentia; non autem ex parte obiecti tantum: species impressa non est aliquid quod se teneat ex parte potentia, sed tantum ex parte obiecti: ergo non sufficit facilitas quæ tribuitur à specie impressa, sed præter eam requiritur

X x 3 habitus

Prima dubitatio.

Secunda dubitatio.

Tertia dubitatio.

Conclusio affirmans.

Prima ratio.

habitus distinctus. Tota difficultas est in maiori, quam probo euidenter. Illud quod tollit indeterminationem potentia de se indifferentis & incompletæ, necessariò est aliquid se tenens ex parte potentia: illud quod faciliat inclinando ad actum, tollit indeterminationem potentia de se indifferentis, & incompletæ: ergo illud quod faciliat potentiam est aliquid se tenens ex parte potentia. Probat maior. Si quod tollit indeterminationem potentia indifferentis se teneret solum ex parte obiecti, non autem ex parte potentia, sensus externi essent æquè capaces habituum, ac intellectus; nam in sensibus externis sunt etiam species intensiores, quæ melius representant: consequens est absurdum, nemo enim ponit in sensibus externis habitus: ergo in potentiis indeterminationis requiritur facilitas, quæ se teneat ex parte potentia, non autem ex parte obiecti tantum.

Secunda ratio.

Secundò dantur necessariò habitus facilitantes potentiam, & se tenentes ex parte potentia, si potentia experitur facilitatem quæ provenire non potest à specie impressa: sed intellectus experitur facilitatem ad ferendum iudicium, quæ provenire non potest à specie impressa; nam intellectus in iudicio ferendo experitur sæpe difficultatem, licet initio habeat species obiectorum; & idè non solemus ferre initio iudicium, quamvis sint in nobis species, nisi post magnam inquisitionem, & considerationem. Postquam autem idem iudicium frequenter repetit, longè deinceps est promptior in eo ferendo; quod signum est novi habitus: ergo species non sufficit.

Tertia ratio.

Tertiò probatur à pari de habitibus supernaturalibus, quos certum est distinguere à speciebus; nam potentia essentialiter incompleta debet compleri per aliquid quod se teneat ex parte potentia: potentia naturalis essentialiter incompleta est ad actus supernaturales: ergo debet ad eos compleri per aliquid se tenens ex parte potentia; species autem, ut dixi, tenet se tantum ex parte obiecti, quia est eius loco, & supplet eius absentiam: ergo non sufficit species ad actus supernaturales. Et hoc etiam patet, quia positis quibuscumque speciebus in intellectu, adhuc intellectus insufficiens est ad assentiendum reuelatis: ergo intellectus eget aliquo complemento, quod se teneat ex parte potentia.

Vnde ulterius argumentor. Potest intellectus ad actus supernaturales esse completus ex parte obiecti, manens incompletus ex parte potentia: ergo ad actus etiam naturales potest habere difficultatem ex parte potentia, quamvis sit omninò completus ex parte obiecti. Imò etiam in pueris baptizatis est habitus fidei; neque tamen sunt species mysteriorum: ergo habitus fidei est aliquid diuersum à speciebus impressis.

Solutio primæ dubitat.

Ad primam respondeo, dupliciter potentiam posse compleri. Primò ex parte obiecti, quod fit per speciem: secundò ex parte potentia, quod per habitum. Compleri potentiam ex parte obiecti, est potentiam sufficienter uniri cum obiecto; compleri ex parte potentia, est accipere novam actiuitatem, sine qua potentia sit ex se incompleta; distinguere verò debere duplex hoc complementum clare demonstratū est ex actibus supernaturalibus. Illud est habitus, per quod intellectus inclinatur ad assensum tanquam aliquid se tenens ex parte potentia; si autem se teneat tantum ex parte obiecti, non est habitus. Species autem se tenet tantum ex parte obiecti; omnis enim potentia cognoscens, licet quantum est de se, completa sit ad

operandum circa suum obiectum, & parandam eius cognitionem, quæ imago est obiecti; eget tamen unione cum eo ut determinetur ad unum potius cognoscendum, quam aliud, & ut compleatur non per aliquid quod se teneat ex parte potentia, sed per aliquid quod se teneat ex parte obiecti, quod cum partiale sit principium suæ imaginis, suas quoque partes debet agere, ut existat illa perfecta imago obiecti, seu cognitio. Cum autem obiectum sæpius ablit, substituit sibi speciem vicariam sui muneris, ut sæpe dixi.

Ad secundam respondeo concedendo, posse derivari aliquam facilitatem à specie impressa intensiori, sed illam se tenere solum ex parte obiecti. Hoc autem quid sit, satis constat ex modo dictis.

Ad tertiam respondeo, constare omninò quod positis quibuscumque speciebus, imò & habitibus in intellectu, adhuc in voluntate requiritur habitus specialis. Primò enim, quoad actus supernaturales certum est, fidem esse in intellectu, & præter eam esse in voluntate habitus spei & charitatis. Secundò etiam quoad actus naturales, posita quacumque cognitione obiecti amabilis, manet tamen in voluntate difficultas, quam non vincit nisi habitus voluntatis; experimur enim multos esse Doctores peritissimos, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia; & cetera quæ persequitur Apostolus Roman. 1.

SECTIO II.

Subiectum habituum: seu quenam potentia sit capax habituum.

Explicata quidditate habituum, quæ causa est veluti formalis, venio ad causam materiale, in qua recipi & inharere possunt habitus; ubi quæritur tria possunt. Primò generatim, cuiusmodi potentia sit capax habituum: secundò, utrum potentia irrationales sint capaces habituum: tertiò, utrum eorum sint capaces potentia irrationales.

§. I.

Quenam requirantur ut potentia sit capax habituum.

Certum est primò, nullam potentiam esse posse Deum capacem habituum, nisi sit actiua, atque adeo potentia. Nullos esse posse habitus in corpore, nec in substantia ipsius animæ, licet temperamentum mutetur per multos actus repetitos; ut dixi olim de Rege illo Cambaie, quem refert Bartolomæus lib. 1. historia Indica, solo halitu interfecisse eos quos oderat; muscas, quæ sanguinem fugerent, mortuas concidisse, quia veneno assueuerat. Ratio autem est, quia ibi debet esse habitus, ubi est facilitas operandi: sed huiusmodi facilitas nec est in corpore, nec in substantia ipsius animæ, sed in solis potentia actiua: ergo in illis solis est habitus; si enim habitus faciliat ad agendum, certe non faciliat nisi potentiam agentem. Licet autem corpus assuescat labori, non sequitur tamen habitus esse in corpore, quia induratur quidem corpus, sed facilitas operandi est in ipsa potentia.

Certum est secundò, nullam potentiam esse capacem habituum, nisi sit operatiua immanenter. Ratio est, quia ibi recipitur habitus, ubi est actus: sola